

retinerent sanctum ad cuius nomen ydola statuerunt iste sogomoni fuit filius. |
84^v cuiusdam magni regis diuitis & potentis. & fuit tam bone uite quod noluit *hic naratur qualiter iste*
intendere aliquibus mundanis & noluit esse rex. Et cum pater uidit quod filius *postposuit res nota*
nolebat esse rex/ nec aliquibus intendere mundanis multum doluit. & ut ipsum *mundanas*
posset a proposito & uoluntate huiusmodi reuocare. grandia sibi promisit.
videlicet quod ipsum coronare [regem] uolebat de regno & ipsum statuere dominum
ad libitum suum. uolebat etiam refutare coronam & nichil precipere set solus ipse
esset dominus & magister. filius quidem dicebat quod nichil uolebat. Et cum
pater uidit quod filius nolebat dominium aliqua causa mundi. doluit ad mortem
& hoc mirum non erat. quoniam plures filios non habebat nec habebat cui dimiteret
regnum. Tunc rex precogitans dixit quod talem medicinam inducet. quod filius
libenter inherebit mundanis. & regnum & coronam similiter acceptabit. fecit
ergo eum reponi in quoddam palatium. & dedit ei multas puellas ualde pulcras que
ei seruibant. nam ibi non auderet permanere aliquis masculus nisi solummodo
ille puele Nam puelle ipsum ducebant ad lectum. & ei seruibant in mensa. &
continuo assotiabant ipsum. ipse canebant & sonabant instrumenta. & faciebant
ei omnia solatia que poterant secundum que preceperat eis rex. Et tamen omnes
85^r ille puele non potuerunt tantum operari quod ipsum ad luxuriam. | prouocarent.
set magis quam a principio caste & firme permanebat & ducebat sanctam uitam *nota constantiam Juuenis*
secundum consuetudinem eorum. Et iste domicellus nunquam de palatio exiuerat.
& nunquam uiderat aliquem uirum mortuum. neque alium qui non fuisset sanus
de membris suis. quia pater non dimitebat accedere coram ipso aliquem senem.
uel aliquem hominem defectuosum in membris. Accidit enim quod quadam die
iste domicellus equitabat per ciuitatem. & uidit quemdam mortuum quesiiuit
ergo ab illis qui penes ipsum erant quid hoc esset. qui responderunt quod erat
homo mortuus. dixit itaque filius regis. & quomodo ergo moriuntur omnes
homines. qui responderunt quod sic Tunc domicellus nichil dixit. set equitabat
ultra cogitando multum. Et post hec cum aliquantulum equitasset inuenit
quemdam hominem ualde senem qui ire non poterat & propter senium dentes
non habebat in hore. & cum filius regis hunc senem uidisset. quesiiuit quid esset.
& quare ire non poterat. & illi qui secum erant dixerunt/ quod propter senium
ire non poterat. & propter senium dentes amiserat Et tunc cum filius regis bene
intellexisset de sene & mortuo reuersus est ad palatium suum. & dixit quod [non] *iuuit perscrutatum illum*
85^v permanebit amplius in hoc seculo | fraudulentum & defectiuo. set dixit quod ibit *qui nunquam moritur &*
perscrutatum illum qui nunquam moritur. & qui ipsum creauit *qui ipsum creauit*
palatio patris sui & iuit in montes multum deuios & magnos & ibi permansit *quod si iste existisset*
totis temporibus uite sue multum honeste & caste & cum magna abstinencia & *xristianus magnus sanc-*
pro certo si fuisset xpistianus magnus sanctus exstitisset penes dominum yhesum *tus reputaretur*